



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

October.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

O C T O B E R.

S. NICETIUS EPISC. I. Octobris.

NICETIVM prius cælum ad Sacerdotium, quàm Pont. destinavit, quando natus jam tunc Sacerdotale capitis decus coronam gestare visus est. Hanc amplius deinde infula Trevirensis exornavit, quam ubi illi Theodoricus rex decrevit, nescio quid grave cervici suæ tertium incumbere sensit. credo ut cum illo scirent omnes Pontifices, infulam non tam ornamentum capitis quàm onus esse. Sed onus hoc pares humeros in NICETIO invenit, & contra reges etiam fortes. Et evenit, ut cum aulæ asseclas à sacris prohibitos templo Theodobertus rex nollet excedere; homo à dæmone infessus uti virtutum NICETII, ita scelerum regis longum catalogum palàm recitaret, ut jam rex non illos modò, sed omnes omnino exesse templo percuperet. Cesserunt igitur illi ex æde sacrâ, mox dæmon ex homine etiam. Sed & in ipsos reges non semel fulmen sacrum vibravit, neque exilio, neque adedò morte intentatâ absteritus. At urbis servatorem & civium esse tunc paruit, quando grassante gravi lue mali genii illas voces auditi sunt loqui: Faceffite hinc socii, quando pro urbis alterâ portâ D. Eucharius, pro alterâ D. Maximinus, pro totâ urbe medius NICETIVS excubat. Quid? quòd Christus è turri conspicuus spectacula fecit NICETIO, & in scenam omnes ordine Gallorum reges produxit. Quid spectatorem tunc fecisse NICETIVM credis? ego, uti in Tragicomœdiâ fieri assolet, nunc risum, nunc lacrimas

lacrimas credo dedisse. *Ex Surio.*

Nemo quasi concretis sibi vitiis obsequatur, & quod est criminis, esse putet natura; sed sumat cum Christo arma jejunii, criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum, ut de ipso auctore mali, sumat, Christo simicante, victoriam. Diabolo victo, vitia nihil valent. S. Pet. Chryf. Serm. II.

S. BAVO CONF. 1. Octobris.

Aliam aulam BAVO cum conjuge, aliam hæc demortuâ habitavit. Illa talis erat, qualem vetus nobilitas & è principe Francorum sanguine origo commendabat; hæc qualem cælum laudat, quercus primò cava, mox cella hoc augustior quò angustior. Sed si illam priorem plures homines, hanc ultimam plures Angeli frequentarunt. Auri-ga verò, qui ad hujus ædificium lapides conve-hebat, quas diras BAVONI imprecatus est, ipse sensit, cum à dæmone ex equo, à rotis equorumq; calcibus vitâ ejectus est. Sed BAVO ut sanctè se vindicaret, vitam reddidit. Intereà evenit ut in servulum offenderet, quem olim in alienam ser-vitutem vendiderat. Veniam igitur oraturus sup-plex dominus mancipii pedesprehendit. Nec prius expiatam hanc noxam credidit, quàm do-mini tergum serviles manus virgis immaniter la-terassent. Addidit alterum ipse supplicium com-pedes, quibus lubens volens libertatem sibi ade-rit. Ita ligatus vicit tamen quoties cum dæmone vit (& sæpè fuit) pugnandum. Victorem corona-vit crux cælo delapsa, & caput multo splendore ambiens, quam ille ita salutavit: *Agnosco gloriosa militiæ meæ signa.* Morienti Angeli, imò Christus præstò fuit. Certè suprema verba BAVONIS illa feruntur:

feruntur : Christo adventanti quid ni obviam exis anima ? Ex Surio.

Si in nobis venenum avaritiæ se diffundit, Christum crucifixum consideremus, & sanat; si scorpio nos libidinis compungit, ipsum rogemus, & curat; si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eundem precemur, & vivimus: hi enim sunt spirituales serpentes, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est. S. Max. de Pass. Serm. 1.

B. FRANCISCUS BORGIA CONF.

1. Octobris.

Non prius FRANCISCUS patrem aut matrem quam JESUM & MARIAM balbutiens salutavit. Puer vel facientem vel dicentem Sacerdotem æmulatus est. Juvenis gynæceum non nisi cilicio armatus adiit, reputans se toties hosti loqui, quoties feminæ. Jam Gandiæ Dux & Gothalanæ Prorex, pervetustum familiæ morem annum patronum sortiendi in menstruum vertit, eumque in Societatem postea, & Marianos cœtus invexit; ipse tunc patroni die pauperes mensæ suæ minister adhibuit. At verò cum illud formæ miraculum (Isabellam Augustam) in sandapilâ attentius considerasset, honorum titulos ut certissima mortis spolia ultrò abjecit, & in Societatem JESU (cui universæ deinde præfuit) se abdidit, dicere abhinc solitus, tum vivere se cœpisse, cum defuisset Isabella. Corpus tam durè habuit, ut duplicari jam & indumenta & cutis possent. Ad Purpuram non semel oblatam tam erubuit, ut alii ad hujus repulsam solent. MARIÆ, quam D. Lucas depinxit, effigiem primus æri incisam spargi per omnem orbem curavit. Hanc cum aspiciebat. *Mihi*, aiebat,

Virgo

2. Octob.

VITÆ SANCTORVM.

483

Virgo hoc onus gestat, mihi lac MATRIS, mihi FILII
bullit sanguis. In vitam suam inquisivit horis sin-
gulis, reum ad Sacerdotis pedes bis quotidie se
egit, quin neque voce neque literis alium se quàm
Franciscum peccatorem prætulit. Sed talem pecca-
torem anno M.DC.XXIV. Urbanus VIII. Pont. Bea-
tum dixit. *Ex vitâ.*

*Quis jam calcari recusabit, cum videat in torculari
Christum premi? sanè nisi fumum vani honoris atque
existimationis propria proculcaverimus, faciliè ab hosti-
bus nostris conculcabimur, & Christi discipuli esse de-
sinemus.* B. Franc. Borg. in Epist.

S. LEODEGARIUS EP. M. 2. Octobris.

Nemo pulchrius in hostem suum, quàm Pont.
Augustodunensis LEODEGARIUS movit, ut
qui huic cum sacris è templo signis obvius ivit,
victoriam ratus sub his vinci. Captus itaque, tunc
demum Christianâ se libertate potitum credidit.
Carcerum tenebris abditus, igne è cælo misso re-
splenduit. Oculis orbatus, primùm Martyrem se
esse vidit. Nudipes per testas & aspera saxorum
fragmina jussus ambulare, currere etiam ad tam
optatam metam gestiit. Labiis & linguâ multa-
tus, sine labiis tamen & linguâ facundus ad con-
cionem dixit. Cæsus denique securi, in novos ani-
mos surrexit, horamque totam victor post mor-
tem stetit, nec nisi à spiculatore impulsus cecidit.
At non tam felici morte cædis auctores defuncti
sunt. Nam & carnifex, de quo dixeramus, à malo
genio correptus in vindices flammæ se ipsum
immisit, mox in majores alias mittendus; &, qui
cædem imperaverat, Ebroinus Regiæ aulæ præ-
fectus, gladio, quem in innocentem strinxerat,

X 2

ipse

ipse nocens occubuit; & demum, qui tumultum Martyris impiè calcavit, Divumque sine miraculis injuriosè compellavit, in ipso vestigio, moriendo mendacem se fassus est, & jam miracula patrare LEODEGARIVM si non aliis, certè sibi credit. *Ex Surio.*

Ad sunt defensores nostri sancti Martyres; rogari volunt, & querunt ut querantur. Hos adjutores nostris orationibus queramus; hos protectores nostri reatus inveniamus; quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui judicat. S. Greg. hom. 32.

S. JOANNES CHUZUBITA CONF.

3. Octobris.

Non aliud altius in hostem infernum vulnus descendit, quàm quod à demissi animi dextrâ venit. Miserat ad JOANNEM CHUZUBITAM Anachoretam alter Anachoretas Ananias nescio quem à malo genio infessum. Hunc vix ita noster compellavit: (Eia cedere, impure, te hospicio non tuo, non ego sed Ananias jubet) cum verba hæc plena animi demissioris jam dudum exosus fugit ocyus hostis superbus. Et pepererat fama miraculi hujus JOANNI Pontificatum Cæsariensem. Ille tamen mox iterum urbem cum filvis suis mutavit, ingens onus infulam se abjecisse existimans. Secutus Divum rusticellus filium itidem ab orco agitatam in sportâ è tecto suspendit, & ecce arrogans iterum pulsus est inquilinus. Ergo igitur, ut ultum hic iret dolorem suum, JOANNEM præcipitem è monte egit. Sed qui caderet humi semper repens animus? risit scilicet veteratorem altius longè olim cadentem. Porro sub ultimos vitæ annos, cum JOANNEM cupido cepisset, Martiani

viri

viri integerrimi visendi, nec tamen ob catenam, quâ se ipse ad carcerem suum beatum damnaverat, egredi antro posset; eodem tempore Martianus ipse inter famulas Cælitum manus delatus adfuit; quo abeunte, cum animo suspicio præstigiarum suboriretur, altero miraculo ruptæ compedes facultatem dedere specu prodeundi, iterumque Martiano loquendi. Ad extremum carnis etiam vincula exiit anno supra quingentesimum vigesimo secundo. *Ex Menseis.*

Antiquus hostis terrarum locis à tentatione non excluditur: quia si in Paradiso hominem stravit, quis locus extra Paradisum esse potest, in quo mentes hominum penetrare non valeat? In sola ergo Creatoris nostri protectione fidendum est. S. Greg. l. 8. Regist. c. 45.

S. FRANCISCUS CONF. 4. Octobris.

HIC VII, HIC, FRANCISCUS est, sanctioris spes altera Romæ, & qui unâ cum altero Atlante Dominico lapsurum orbem firmavit. Mercator adhuc fœnus facere etiam apud pauperes scivit, neque umquam pluris vendidit sua, quàm cum gratis dedit. Evocatus in somno ad arma cruce insignita, cum novam militiæ tesseram non agnosceret, ab ipso Crucifixo est edoctus. Ducem itaque nudum Christum secutus, primam pugnam (uti ferè amat fieri in hoc sacro bello) cum patre habuit. Et vicit avaritiem paternam, cum non tantum omnibus bonis, sed etiam vestibus se coram Antistite exiit, illis verbis hostem prosterrens: *Patrem hætenus te dixeram: nunc denique nihil intercedit, quin verius dicam, Pater noster qui es in celis.* Quis credat? Sic nudus tum denique armatum se probè credidit, & scriptis sociis orbem ex-

pugnavit: expugnatum, si agnoscimus, paupertate suâ ditavit. Porrò animi candorem in viro, scis Lector, nives probarunt, in quas se abjecit; & miratæ puritatem sunt undæ, quibus calorem improbum merfit. De animi ejus submissione quid dicam, & quo DEVM ardebat amore? Seraphinis à cælo sociatus, & in sede Angeli, quem superbia inde exturbârat, locandus, ultimum se mortali, sed inter sceleratos principem dicit. Mariæ additum fuisse ille non dubitabit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Portiunculâ dixerunt) abstulit. Sed frustra sum. Herculem ego in hac digitali tabellâ non pingo. Vin' compendium lector viri? Totum Christum in Francisco videbis, si vulnera ejus inspicias. *Ex D. Bonav.*

O quàm gloriosum & magnum, habere in calis Patrem! ô quàm sanctum, Paraclitum pulchrum & amabilem habere sponsum! ô quàm sanctum & quantum delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile, habere talem Fratrem, qui posuit animâ suam pro ovibus suis? Ex Epist. S. Francisci.

S. THERESA V. 5. Octobris.

Quid, heu! quid cum prætextatis verbis tibi prætextata malè turba? disce, eia infantia rectè vel ab infante THERESA fari. *In æternum! in æternum! in æternum!* ah quoties balbutiens clamavit! Nos scilicet puerilem senectam, non senem æternitatem in animo & linguâ gerimus, disertissimi infantes. At THERESA parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura, & brevi morte longam æternitatem auspiciatura. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quæ ferè mors est liberorum, mori matrè voluit.

Illa

Illa Matrem vicariam cælo MARIAM advocavit, numquam abhinc orba futura. MARIA porrò filia suæ sponsum Filium conciliavit, quando ex sanctioribus amoribus Seraphinus ales cor THERESÆ terebravit. Ipse amor hominum Christus, quò certius illam fauciare, sua vulnera dilectæ impressit, occulta tamen, ut ferè solet amor. Adfuit deinde sæpè sponsa, nunc cruce pro more chlamydatum, nunc spineâ, quæ illum maximè decet, corollâ ornatus, nunc qualis mortem triumphavit, conspicuus. Arrhæ ab eodem datæ gemmæ quaternæ & pendulæ è Rosario Cruci additæ, Dos verò omne cælum: cujus opes cùm quandoque THERESÆ CHRISTVS ostentasset, *Viden?*, agebat, (tute tibi lector dictum puta) *quantis se bonis peccatores spolient?* Sed & veste nuptiali cùm Ordinem, quem Carmelitarum dicimus, restauraret, Virgo MATER & VIRGINIS SPONSUS JOSEPHVS cælo allatâ exornarunt, ut nihil jam ad nuptias deesset, nisi quæ facem præferret, anno MD.LXXXII. mors beata. *Ex vitâ.*

Prudenter sagittari, & impugnari salubriter postulat sanctus, cùm dicit in oratione, Confige timore tuo carnes meas. Optima timor iste sagitta, qui conficit & interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit. S. Bernard. serm. 29. in Cant.

S. MEINULPHUS C. 5. Octobris.

VIX MEINVLPHVS illa Christi verba audierat: *Vulpes foveas habent, & volucres cali nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet,* cùm apud se constituit non solum Christo locum in animo suo facere (ubi enim ille libentius nidularetur?) sed & templum ponere. Circumspicienti aream, de-

5. Octob.
pertate
ro, scis
& mi
m im
ne quid
hinis à
perbia
tatum,
e addi
t, quæ
nt) abs
c digi
lector
ebis, si

alis Pa
& ama
uanum
dulce &
a suato

ois tibi
ntia re
um! in
ns cla
non se
nus, di
la cum
Mauros
a auspi
iveret,
voluit.
Illa



lapſa cælo in ſilvas lux & cervas inter crucem cornu præferens cervus ſignavit. Eo igitur in loco Deo & virginibus ſacris domicilium, ſibi tumulum ſtruxit: cui cum mortuus inferendus eſſet, ecce magnâ VIRGINE volente, tam diu vitæ reſtitutus eſt, dum res templi & cœnobii componeret. Multò poſt apertus ſuâ ſponte tumulus cymbalum oſtendit, quo divus in ſacris Miniſter uti ſolitus erat. Hoc deinceps, quoties virgo ex aſceterio moritura erat, ſonitu ſuo mortis inſidias detexit. Ipſe Divus bis viſus in ſomnis, bis è vitiorum veterno excitare clientem, qui à cubiculis illi fuerat, laboravit. Sed ille in utramque aurem dormivit. Ergo tertium adeſt, & multis objurgans, quòd mortis æternæ reus dormiret tam altum, viſionis non vanæ argumenta vaticinatur. Hic demum experrectus alter, & barbam ſibi evulſam ſentiens, credere monenti, reſipiſcere, ad templum MEINVLPHI properare: & cum illic rudis antè, & nec primis literis tinctus, ſubitò Latine linguæ peritiam accepiffet, aræ miniſtris vel idèd ſe facilius ſociare, quòd attonſus jam à ſomno eſſet. *Ex Surio.*

Cur non conſideras, quia mundus in fine eſt? omnia urgentur; quotidie ad reddendas rationes æterno & tremendo Iudici ducimur; quid ergo aliud niſi de adventu illius cogitare debemus? qui ſive nolentes, ſive volentes, per momenta, quotidie ad finem tendimus. S. Gregor. in Regiſt. l. 6.

S. BRUNO CONF. 6. Octobris.

Quo tempore D. BRUNO Lutetiæ Pariſiorum ingenium bonis artibus excoluit, vir è vitâ exceſſit princeps inter literatos, qui que virtutis exiſtima-

existimationem longè maximam post se reliquit. Sed eheu! quantum aberratis mali iudices hominum oculi! Dum iusta persolvuntur, ad illam carentis vocem: *Responde mihi*, ecce tibi è capulo se defunctus tollit, & cum gemitu, *Iusto*, inquit, *Dei iudicio accusatus sum*; mox postridie, *Iusto*, exclamat, *Dei iudicio iudicatus sum*; demùm tertio die tertium è feretro fulmen auditur, *Iusto Dei iudicio condemnatus sum*. Enimverò plus quàm tragica hæc catastrophe omnes movit; at BRVNONEM eò permovet, ut non modò umbram hanc hominis, sed ipsos etiam homines fugeret. Atque hinc illa sanctissimi viri & omnium, qui ducem hunc sequuntur, frequens in silvas fuga, hinc illud in omnibus lugubre silentium, ille pallidus in vultu color, ut interfuisse tristi spectaculo in BRVNONÆ omnes posteros credas. Sed benè morum candidissimorum cygni homines fugiunt cum Superis acturi: benè nunc tacent, cantaturi tunc, cum flebunt alii morituri. Jam ipsa *Dei Mater* æternam illis tutelam adpromisit, si illi, quod diurnum VIRGINIS officium dicimus, quotidie persolvant. Pulchra profectò conditio, & quam meritò ambient tam pulchrè candidati. Quid illud, quòd Numen fugam è mundo BRVNONIS sociorumq; sex, totidem S. Hugoni stellis significavit? Nempe, numerum stellarum augent, quotquot ad BRVNONIS partes accedunt. *Ex Surio.*

In omnibus rebus respice finem, & qualiter ante districtum stabis Iudicem, cui nihil est occultum, qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod justum est iudicabit. Thom. de Kemp. lib. 1. de Imitat. Christi.

S. MARIA DE VICTORIA. 7. Octobris.

IO! hodie, io! clama, triumphe! quisquis VIRGINI faves VICTRICI. Agebatur annus post VIRGINEM parientem supra millesimum & quingentesimū septuagesimus primus, quando Pius V. Pont. Max. contra Turcarum vim metumque belli societatem cum Hispaniarum Rege & Venerorum Republicâ feliciter iniit. Adornata itaq; classis est, & Joanne Austriō duce hosti plenis velis ac animis obviam est itum. Mox nostris triduo jejuniō & Sacramentis Ecclesiæ probe munitis, classicum DEI & MARIÆ nomen cecinere. tunc verò omnibus viribus certatum est, eo ipso tempore, quo, quas Rosarii vocant Sodalitates, de more supplicationes ad castissima VIRGINIS puluinaria per totum orbem instituunt. Nec frustra. Stetit nostrâ ex parte ACIES ORDINATA, & cum hâc nobis etiam venti militarunt. Proinde horarū quatuor nec amplius spatio parta memorabilis ad posteros victoria est. Cesa etenim cum ipso duce suo barbarorum millia triginta, in libertatem Christiani asserti ter mille, quadringenti octoginta & sex. Naves captæ nonaginta supra centum. Octoginta vel flammis vel undis haustæ, fugâ non nisi XX. elapsis. Tormenta in prædam cessere majora sedecim supra centum, minora verò ducenta, quinquaginta & sex. Atque hoc est, quod Opt. Pont. de victoriâ divinitus edoctus triumphū VIRGINI decrevit, quotannis iterandum, quodque non pauci è victore exercitu hostilia spolia ex voto ad Aram Lauretanam suspenderit. Fatale nimirū LVNÆ est ad VIRGINIS pedes abjici. Ex Io. Gab. in vitâ Pii V. & Pet. Spin.

Oportet

Oportet inter fluctus sæculi confugere ad Mariam, & respectu exempli ejus cursum vitæ dirigere: quod qui fecerit, non jactabitur vana gloria vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed prosperè ad aeternæ quietis portum veniet. S. Epiph. in Panar.

S. GEROLDUS M. 7. Octobris.

GEROLDVS à puero pietatem ducem secutus facile ad ipsa adyta virtutis penetravit, multas tamen identidem pro castitate pugnas pugnavit, vincendus, nisi aliis armis, quam nunc amat adolescentia, usus fuisset. Nimirum hodie nativâ in galeâ suâ tam molliter cristata frons ictus Cupidinis eludet? in thorace tam vulnerato non minus lacer animus tela improba repellet? tot vincula etsi serica, vincula tamen, fugam in hâc luctâ tam laudatam promovebunt scilicet? Aliter GEROLDVS noster pugnavit. Ille fame hostem obsidere, ille animum precibus, pectus cilicio, manum flagello obarmare, toties victor, quoties cæsus, & averfis vulneribus nobilior, quam adversis Romanus: quæ ille tunc potissimum non horruit, cum inter pias commentationes cæsum Ducem ob oculos Christum posuit. Has victorias cum per Hispanias & Italias circumtulisset, jamque Palestinam etiam meditaretur, militem suum Superi ad triumphum evocarunt. Etenim cum pagum Cremonæ vicinum transiret, latrones duo, quò in insidias pertraherent GEROLDVM, litem ex composito adsimularunt. Hic nempe, quò digladiantes dirimeret, illicò accurrit. At illi jam dudum in mortem innocentis amici caduceatorè suum multis plagis confecerunt, interque

silvas abdiderunt. Sed excivit urbem urbisque Pontificem æs campanum suâ sponte sonans, & ut Martyr facilius reperiretur, prodigiosa lumina cælum accendit. *Ex Ferrar.*

Mentem tuam supernæ patriæ amor accendat, præmia mansura sollicitent; & ad venturi Iudicis promissiones semper aspiret, atque ex temporalibus æterna mercetur. S. Gregor. Regist. l. 7. c. 14.

S. OSITHA VIRGO. 7. Octobris.

Quantum, ô parentes, educatio præstat! quantum, ô liberi, quibuscum vitam à teneris societis, interest! OSITHA regii sanguinis in Angliâ puellâ in Parthenone non profano, sed sacro educta, quantum splendoris coronæ Anglicæ conciliavit! Et verò jam tunc prodidit cælum, quam curæ illi sit juvenus probè instituta, & majoribus suis morigera. Missa OSITHA cum libro trans pontem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. sed Angelorum præsidio, tertio die prodiit numquam mergenda innocentia. Sub hac in thori societatem à rege Sigero invitatur. Sed dum rex venatur feras, virgo ut Cupidinis retia effugeret, binos Episcopos advocat, & ab his velata in Christi nuptarû numerum transit. Indoluit rex; sed quòd Deo nollet rivalis esse, potestatem fecit è suo thalamo, in Christi, hoc est cœnobiû, transeundi. In hoc ne regiæ sponsæ purpura deesset, ferro à Danis pro fide cæditur. Memoratur verò funus suis non alienis pedibus ambulasse, & caput abscissum ad usque templum extulisse, atque ibi demum, cum manibus templi januam pulsasset, placidè procubuisse. Fuit etiam qui morbo ad extrema deductus OSITHAM in vota vocavit,

vocavit, vovitque ne moreretur, in Religioso cœtu se victurū. Convaluit: sed soteria solvere oblitus vindicem morbum secundum sensit, nec prius manum iterum OSITHÆ medicam, quàm objuratus ab hâc fidem liberaturum se spondit. Itaque bis voti damnatus templo & cœnobio anathema, se, dedit. *Ex Surio.*

Vide ne promissum tuum irritum facias, neque fidei tua vota disrum-pas. Habebis profecto accusatores pravaricationis tuae; habebis veridicos testes testificantes adversum te; habebis judicem, qui nullius personam accipit in sue executione sententiæ. S. Laur. Just. de Cont. mundi c. 19.

S. PELAGIA POENITENS.

8. Octobris.

Vixit PELAGIA Antiochiæ sub Theodosii Minoris tempora, ob formæ venustatem corporisque cultum non jam Veneris serva, sed ipsa Venus habita, pudor urbis, & castitatis ipsissima perniciēs. Quis credat? quæ oculis captivam post se urbem trahebat, in hanc obtutum defixisse D. Nonno Antistiti etiam profuit. Quid enim? (exclamabat post visum hoc elegantiã idolum ille) quo demum studio, quo sive temporis dispendio, sive impendio sumptuum, hæc faciem comit pingitque? & hoc cur? quò nempe oculis amantiū arrideat, cælo lacrimante. Animæ interim meæ, quam, ausim dicere, DEVS deperit, quis splendor? nempe ad hanc infamiam collata, Æthiopissa es anima. Ite & sordes meas, cheu! lacrimæ lavate. Hæc Nonnus. At PELAGIA, spectante & mirante urbe, ad pedes ejus descendit, & vitæ licentiam sancto fletu gemituque teste

ejurat. Mox jejuniis & vigiliis corpus defluere, vultum non jam gratiæ, sed pallor, squalor, maciæque infidere, nihil jam in totâ fronte rubere, præter præteritorum memoriam. Nempe obstrepere hîc Veneris puer, desertum se fide non bonâ queri, formam se, opes, amores dedisse: ipsam probra, contemptum, odiumq; ingratham rependere. Sed virum scilicet invenit. Nam sparso omni in egenos auro, laqueos amantium, capillos rescidit, feminam cum veste exiit, Pelagium se dixit, vitæque reliquum Hierosolymis inter summas vitæ asperitates egit, in illo monte, qui ab olivetis nomen habet, ab ipso Christo dudum edocta, ad cælum illinc ascendit. *Ex Surio.*

Quidquid animo ex præfenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat; quidquid in mente pueriliter hilarescit, disciplina censura coërceat, ut, dum sponte temporalia fugimus, æterna gaudia sine labore capiamus. S. Greg.

S. DIONYSIUS AREOPAGITA.

9. Octobris.

IS est DIONYSIVS, cui nomen Areopagus fecit, vir inter Athenienses eximiè doctus, & fiderum contemplationi addictus. Quare eo tempore, quo omnis natura morientem Christum lugebat, exclamasse fertur, *aut Deum laborare, aut mundum ruinam meditari.* A Paulo deinde CHRISTO additus, præesse novitio Christianorum gregi Athenis jussus est. Ajunt cum Apostolis abeunti in cælos VIRGINI adfuisse. Certè eam vidisse, aspectuq; tam augusto attonitus, ingenuè scribitur affirmasse, pro Deo hanc habiturum se fuisse, **si fides DEI matrem esse suggessisset.** Paulo etiam

com-

10. Octob. VITÆ SANCTORVM. 495
commori cupidus Romam advolavit. Sed præ-
vertit Neronis crudelitas, qui spem tantam in
Paulo prius decollavit. Galliam ergo cum jussu
Clementis Pont. adiisset, annos numerans X. supra
centum, vincula primò tulit, tum verbera; utraque
Christianâ fortitudine. Exinde ferreo, cui flam-
mæ subjectæ erant, lectulo incubuit; sed suaviora
numquam somnia de cælo, quam tunc vidit. Ita
femiustulatus feris objectus est, sed has etiam vir-
tus demulsit. Iterum in flammis missus, aurum
exivit. Post in crucem actus, cruce scilicet gravius
habuit deponi è cruce. Ad extremum cum sacrifi-
cantem in carcere CHRISTVS spectabilis animaf-
set, non minus mortis D. Pauli, quam vitæ æmu-
lus, gladio occubuit. Illud memoratu dignum,
quòd abscissum caput inter Angelorum accinen-
tium comitatus, suis ipse manibus passus bis mil-
le ad destinatum tumulum portaverit, novo mi-
raculo & funus idem & funeris ductor. *Ex Hildui-
no & opere Marian. Canis.*

*Crucifixum intueamur, ut à peccato sanemur: quo-
modo qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non
peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide
Christi mortem, sanantur à morsibus peccatorum.*
S. August. in Joan.

S. THEOPHILUS CONF. 10. Octobris.

Huc oculos & filii & parentes! Speculum
commune utrisque hodie THEOPHILVS
esto. Trimulum & sacris undis ablutum parentes
pii ad Stephanum Eremitam incolam abduxerunt,
precibus Deo jam-tum initiandum. Nimirum ad-
huc pueritiam immaturam cælo credemus? Ter-
tio decimo ætatis anno necdum exacto, sub Ste-
phani

phani vultu feliciter THEOPHILVM Angelus bonus fallens ad mundi contemptum illis verbis pellexit: *Tolle crucem tuam, & sequere me.* Et hodie ad eundem invitare hominem homini non licebit? non licebit Angelum æmulari? Jam non ignavus THEOPHILVS, etiam inconsultis parentibus, ad Stephanum, inde ad monachos abiit. Atqui nostro ævo (ô tempora!) facinus est culeo dignum, parentes tam pie fallere, & facere quod laudata toties olim antiquitas, quod ipse puer CHRISTVS fecit. Huc itaque, eia! iterum oculos, hoc in speculo (THEOPHILO nostro) maculas vestras & filii & parentes corrigite. Correxere certè THEOPHILI parentes, & rectius sapere edocti, quò mundum fugienti alas adderent, ipsi cœnobium filio struxerunt; factumque hoc cælum probavit, cum suâ voce filium illuc evocavit. Inde vi extractus, multaque sub sacrarum imaginum hoste Leone passus; sed ad extremum dimissus, nil magis doluit, quàm ereptam sibi, quam manu jam jam prehenderat, martyrii palmam: quamquam neque hanc illi negasse Superos existimo. Magnum enim longumque oppidò martyrium est, mundo mori. *Ex Menais.*

Reduc ad animum prosperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, divitiarum abundantiam. Attende hæc omnia, ubi vel quid facta sunt: & ex hoc pensa, quòd nulla sint, & quia qui ista diligit, somnium vigilans videt. S. Greg. 1. 7. Regist.

S. JOANNES CONF. 10. Octobris.

IOANNIS inter literas etiamnum in Academia Oxoniensi agentis animum si inspexisses, templum musarum, sed multò magis virtutum dixisses.

ses: ita utrasque pulcherrimo connubio in pectore suo sociavit. Ne verò cum scientiis suis in carne & sanguine volutaretur, anno ætatis vigesimo D. Augustini institutum amplexatus est in Bridlingtoniensi cœnobio, in quo cum omnibus se postponeret, omnibus denique præpositus est, factumque hoc tam lubentibus aliis, quam uno ipso invito. Tam modestè tamen imperium usurpavit, uti aperta unius è suis convitia non nisi silentio refelleret, monitusque ut læsam auctoritatem vindicaret, præstare diceret, iratis flammis demere quàm addere oleum. Triclinium illi cum aliis idem, eadem mensa; in mensâ tamen major abstinentia fuit. Amoris divini æstu tam ardebat, ut, cum sacrificaret, vestes, quibus hieme alii se contra frigus armabant, ille tunc poneret, & flammam pectoris loqueretur frequens multusque vapor è capite palam assurgens. Ipse corpore præsens ad aram, animo intereà cælum obambulabat, incendio ita paulatim crescente, ut oculi lacrimis non jam flere, sed toti liquefcere viderentur. Denique ne dubites JOANNEM in cælum evolasse, noveris ante mortem hunc virgini è Vestalibus uni formâ aquilæ visum esse, quæ nubes transcendens illa è schedâ, quam rostro ferebat, verba loquebatur: *Amor meus JESVS*. Evolare ad cælos etiam tu cupis? ab hoc amore alas mutuare, non illo qui humi repit. *Ex Surio.*

Quid tibi cum carne & sanguine, qui divinam in te gestus imaginem? quid tibi cum mundo & vitiis, qui ad hoc conditus esse probaris, ut cælum conscendas, atque cum angelicis spiritibus beatâ Dei visione fruaris? S. Laur. Justin. de Cont. mundi, c. 21.

S. BRUNO EP. C. 11. Octobris.

Fuit hic Bruno Henrici Aucupis German. Regis fil. Othonis I. Imp. frater. Scientias divinas juxtâ & humanas calluit, sed eloquentiam inprimis, quam pro miseris potissimum exeruit, ut quorum semper bona causa est. Temporis avarus nullum nisi literarum otium amavit, ut quocumque demum cum Imper. Fr. iret; famuli libri sequerentur, suavissimè iter inter comites Musas facientem. Comitatus uti ipse singulari erat, ita morum levitatem in aliis summè oderat. Quare cum Henricum Fr. & affinem Cunonem sub divinis confabulantes vidisset, palàm edixit, intemptivam illam familiaritatem seminarium fore maximarum inimicitiarum; id quod postea orbis vidit. O Censorem debitum nostro ævo, quo templa passim aut fora fieri aut curias videmus, & ex his exire sæpè, qui plurima hominibus, nihil DEO, nihil Divis sunt locuti! Sed mitto linguaces. Silentium potius in BRVNONE laudo & frugalitatem, quam Archiepiscopus jam Coloniensis (uti & in vestibus modestiam) in Canonorum Collegium postliminidè reduxit, utinam non iterum nunc ubique ferè terrarum exulem! Ipse post maxima obita munia, post extracta aut reparata templa & cœnobìa plurimà, ut pacis amans, & pacis conciliandæ inter viros principes mirus artifex, excessit è vitâ, anno post DEVM hominem D. CCCC. LXV. cælum moriens multis lacrimis mollivit, & crebro gemitu, velut ariete, perripit. *Ex Lippeloo.*

Esto Angelus, hoc est, divini minister imperii: obsequere mandatis Domini: cum fueris Angelus, videbis

lis faciem Domini. Ipse Dominus JESVS ait, Beati mundo corde: ipsi enim Deum videbunt. Adver- tis, quid à te exigatur ut videas Deum? Emunda igitur cor tuum. S. Ambr. in Ps. 118.

B. JACOBUS ALEMANNUS CONF.

II. Octobris.

FELIX, (si quidem norit hodie bona sua) Ulma Suevorum JACOBVM nostrum peperit, & præbè educatum Romam ad DD. Apostolorum limina supplicem misit. Româ Neapolim hic abiit, & ab Alphonso rege militiæ adscriptus, nullum hostem quàm prædam fugit. Quare illa demum castra placuere, quæ non aliena raperent, sed suis se spoliarent: id quod ipse etiam fecit, cum Bononiæ ad D. Dominici signa transiit. Hic ille boni militis partes omnes implere, primus semper ad ducis nutum, portarum animi, oculorum inquam, vigilantissimus custos, & flammæ hostiles casto animo injectas suffocare illicò doctus, sanguinis recordatione à Christo fusi. Jam arma (preces) numquam posuit, primo mane omnes Divorum aras veluti stationes militares obiens & semper à castrorum acie Virgine auspiciam sumens. Quid jam mirum, si miles noster dæmones fustibus pugnantes risit, præsertim quando cum pugnante, Angeli visi pugnare? si Cyclopem infernum sibi infestum cruce prostravit, & eadem corvorum Stygiorum agmen fugavit? Quid? quòd & insidias structas Reipublicæ ab orco detexit. Ad D. enim Antonii tumulum cum lætantes dæmones spectasset, & triumphum adornantes ob futuram alterò die inter cives cædem, medius preces suas interposuit, & civibus pacem, orco pro triumpho luctum peperit.

Fuit

Fuit cum ad hortos Elysios avolans ea oculorum spectacula habuit auriumque illecebras, ut irasceretur illis, qui eum avocarunt. Ne igitur quicquam molestiam revocando faceret, morte illuc non rediturus abiit. *Ex Surio.*

Quisquis es, qui divini luminis illustravis splendore, senti q̄ ad contemptum mundi provehi, à Domino præsistum noli tibi spernere donum, noli obsurdescere aperire pulsanti. Surge ocyus, & te volenti erigere manum porrige. S. Laur. Just. de Cont. mund. c. 19.

S. MAXIMILIANUS EP. M. 12. Octobris.

MAXIMILIANVM, quo cive Pannonia, Austria patrono gloriatur, parentes nobiles Celeiæ genuerunt, lactarunt Gratia, Musæ eduxerunt. Talis, inquam, MAXIMILIANVS dignus cælo visus est, quem in suas partes pertraheret; & verò facile ille obsecundans meliora suadenti, hereditate suâ (quæ opulenta ei erat) ultrò egenis cessit, divitem se ratus, si centuplo amplius liceret sperare. Jam honoris etiam umbram cum fugeret, inseguta tamen hæc virtutem, Laureaci mitrâ sibi devinxit, & in solum reluentem extulit. Hoc deinde cum furia Decianæ deturbassent, Romam abiit; mox tamen Xysto II. Pont. Max. auctore rediit, & viginti ipsos annos munere suo cum summâ laude est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam terris operam suam locare. Et forte Evilius illic Prætor Christianam pietatem oppugnatum ibat. Tanto amplius festinandum sibi ratus illicò advolavit, & suppetias laborantibus in tempore tulit. Sed dum in primâ fronte acrius pugnat, inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam nobilem Hostiam propitia victoria semper postea

13. Octob. VITÆ SANCTORVM. 501
eā cum Christianis stetit. Diceres suum etiam
Pannoniæ Decium obtigisse. Ex Bruschio.

*Quid prodest quemlibet hodie auro, gemmis & pur-
purā contegi, si cras contingat eum nudum & reum ad
inferni supplicia pertrahi? Quid juvat, si quis hodie
terram faciat sub pedibus suis iremere, & cras medicus
& pauper de hoc mundo compellatur exire? S.P. Dam.
l. 7. ep. 15.*

S. COLMANNUS MART. 13. Octobris.

COLMANNVM Regii sanguinis juvenem &
juventæ ævo suo facile principem genuit &
educavit Scotia, hospitem Bojaria vidit & Au-
stria. Habuit tamen hæc hostiliter potius quàm
hospitaliter. Etenim quòd genus & virtutem, sub
peregrino dissimulasset, jussisque valere & patriā
& opibus patriæ, sacram Hierosolymæ urbem in
votis haberet, diu jam dæmoni malo ægrè facie-
bat. Hic igitur contrà ægrè COLMANNNO facturus
id machinatur, ut innocentia sub proditoris no-
mine accusetur. Capitur, carceri datur, torquetur,
uritur, laceratur, damnatur, & ex aridā arbore ipse
flos juventutis suspenditur. Hic demùm pro inno-
cente crebra miracula perorant. Et integritatem
animi sesquiannum sub dio pendens integrum
corpusculum loquitur. Meruisse canos crescentes
capilli & ungues testantur; clamat sanguis è vul-
nere numquam non recens. ipsa, quam emortuam
diximus, arbor in frondes suas reviviscens non
debuisse mori COLMANNVM ait. Tot testibus
tandem convicta Austria vertit sententiam, absol-
vit COLMANNVM, & se damnavit. Sed & hic tot
honoribus pòst, quot suppliciis antè mactatus
Au-

502 VITÆ SANCTORVM. 14 Octob.
Austriam jam absolvit. Ex Diimaro, Stabio,
& VV. Lazio.

Quid prodest, si homines laudent, & conscientia accuset? aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstrat? si nobis est testis in celo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt. S. Greg. l. 8. Registr. c. 45.

S. FORTUNATUS EP. 14. Octobris.

FAcilè orco imperat, quisquis peccato non servit. Inter testes longè plurimos etiam FORTUNATVM numero Tudertinum Episcopum, qui totas legiones dæmonum ex hominibus non semel unus fugavit. Sed nocuit pænè fugiendo orci faelles. Nempe pulsus sub noctem urbem obambulat hominis vultum mentitus, rem indignam clamat factam ab Episcopo FORTVNATO; peregrinum se hospitio ab eo ejectum, cujus munus esset etiam invitare verecundantem. quam nunc virtutem habitare sub tecto Pontificis cives crederent, unde hospitalitas exularet? Audiit hæc nescio quis, & non tam misericordiâ motus quàm invidiâ, quam facere FORTVNATO volebat, domo excipit, cæli scilicet exulem. Sed malus hospes non minùs malam symbolam reliquit, abiensque hospitis filio in ignes coniecto animam elisit. Tum denique infidam hospitalitatis tesseram pater damnavit. Sed quàm cordi FORTVNATO juvenus fuerit, audi. Gothus prædam agebat nobilem, adolescentes geminos. Pontifex cum nec precibus hos nec pretio redimere posset, malum vaticinatus est militi, quod illi equus dedit, cum lapsus coxam sessoris fregit. Hoc malo multatus Gothus ultrò jam FORTVNATO pueros remisit; sed
non

14. Octob. VITÆ SANCTORVM. 503
non gratis. Nam remisit Pont. sanitatem, ingens
ægro pretium. Ex D. Gregorii Dialogis.

*Adverte, quæso, si mundum diligis, si in illo conuer-
saris, in quanto discrimine vivas. quocunque te vertes,
concupiscentia ignem accensum invenies: quem si copula-
ri permiseris tuo, uret te, & in favillam rediget. Fuge
igitur ad montana cum Loth, & salvaberis. S. Laur.
Just. de Cont. mund. c. 19.*

S. DOMINICUS LORICATUS C.

14. Octobris.

Audite, qui aras, calices, infulas vel venditis,
vel emitis. DOMINICVS à primis annis aris &
ipse admotus, tandem sacerdotio initiatus est. Ve-
rum quòd eos honores nescio quo dono (pellis
credo caprina erat) parens filio mercatus esset, de-
testatus hic impia munera, adeoque jam se etiam,
longè fugere statuit partas malè dignitates, & pa-
ternum facinus in se vindicare. Ad hoc commo-
dissima visa est solitudo, & in hâc virorum socie-
tas, qui austeram cum primis rationem vivendi se-
quebantur. Nempe his unum totâ ferè vitâ jeju-
num, deliciae die Solis Jovisque pultes, cibus per
reliquam hebdomadem solus panis erat. Nam de
potu quid dicam? aquam lacrimis miscebant. Jam
loqui semel in septimanâ, dabatur, cædere verò
flagris sæpius in die se, sæpius cædi ab aliis mos re-
ceptus jam fuerat. Hæc omnibus tunc communia,
at DOMINICO nostro peculiaria illa ajunt: nudam
carnem loricâ ferreâ onerare, itaque in vigiliis
sanctis noctes dies perstare; tum bis quotidie Re-
gii Vatis carmina cantando decurrere, manu in-
terim utrâque virgis armatâ mensuram imperan-
te. Durum, ais, est nimis sic vivere. At sic vivendo
vir-

virgo vixit DOMINICVS, & ut tales vos vivatis, Sodales Parthenii, testamento arma vobis sua legavit. *Ex Lippeloo.*

Optimè pœnitet, qui dum carnem verberibus mactat, lucrum, quod delectatione carnis amiserat, afflictionibus recompensat, & salubrem illi nunc amaritudinem ingerit, cujus olim noxiâ delectatione peccavit. S.P. Dam. l. 5. epist. 8.

• S. HEDWIGIS DUCISSA. 15. Octobris.

IN regium te gynæceum introducimus. tamen terreare, si ad limina pauperes excubent: HEDWIGIS intus habitat, quæ ex illustri Andecensium Comitum & Tyrolensium stirpe Henrico Polonorum Duci nupta, primos annos liberis procreandis, reliquum deinde vitæ tempus, non invito conjugè, castitati dedit, maluitque à pauperum jam turbâ, quàm Regum mater dici. Ex illis tredecim quotidiebus mensæ adhibuit, flexo poplite in iis Christum ac duodenas Apostolos adorans. Ajunt multos ex iis, impositâ capiti VIRGINIS MAGNÆ icunculâ, valetudini restitutos ab HEDWIGE. Certè inventam VIRGINIS effigiem multis ab obitu annis inter digitos tres primores eosque integros asseverant, magno sive HEDWIGIS IN VIRGINEM, sive VIRGINIS IN HEDWIGEM voluntatis testimonio. Porro tam dura sibi, quàm benigna aliis, pedes ferè nudos etiam hyberno tempore circumferebat, indormiebat asseribus, corpusculum & ipsa verberabat, &, quod pauci volunt, verberari ab aliis volebat. Sacerdotibus, quotquot denique faciebant, quotidie omnibus assistebat, nullas alias voluptates umquam sectata, quàm quæ preces inter animum demulcebant: qua-

quarum quidem ingens argumentum fuere nunc prodigiosus in vultu splendor, nunc cum animo suo in aërem etiam corpus abreptum. Et fuit, cum sic precanti è cruce bene ultro Christus precaretur, & rata omnia vota ejus haberet. Horum scilicet compendium cælum erat, quod ingressa est HEDWIGIS inter Theclæ & Catharinæ aliarumque Virginum comitatum, ut & tunc Principem crederes. *Ex Surio.*

Qui ad caelestes nuptias firmæ spei gradibus festinas, non parvam partem substantiæ in tuto loco reponet: mar-supium autem sinus est pauperum, sustentatio miserorum. Hoc est fidele depositarium sine ullo prorsus detrimento, quod susceperat, redditurum. S. Pet. Dam. l. 8. epist. 14.

S. GALLUS ABB. 16. Octobris.

GALLVS ad Laci Brigantini incolas Columbanus duce venit, quem in literis & pietate magistrum habuit. Hic permultis auctor fuit, damnatâ superstitione, ad Christi partes transeundi: ipse antra silvasque à colubris & lemuribus purgatas melior hospes cœpit incolere, comœatum sæpius cælo suppeditante. Et fortè preces Numini faciebat, cum ursus adfuit pauperis cœnæ reliquias populaturus. Sed jubet GALLVS lignum potius fur comportet, eoque focum foveat. Facit ille imperata, & in laboris stipendium panem capit. Tum Divus cum eodem ita paciscitur, communem uterque montem haberent, cæterum nemini deinceps mortalium ursus noceret. Has inquam leges homo tulit, & sacrosanctas fera habuit. Vidit hoc & invidit orcus, omni que vi pel-
lere GALLVM est aggressus. Sed facile hic iterum

in fugam versipellem hostem egit, victor trophæum Crucis erexit, & præsidium sacra Divorum lipsana imposuit. Quin longiùs etiam hostem persecutus, pepulit è filiâ Ducis Gunzonis, quam infederat, Galliarum tum regis, sed Christi postea sponsâ. Et poterat in præmium accipere infulam Constantiensem, nisi hanc, quam tanti alii faciunt, nihili ille fecisset. Itaque ad majora præmia, & GALLO digna, cælum evocavit. Ejus funus equi ferocissimi sponte ad sepulturæ locum duxerunt. usque adeò nihil ferum in orbe est, quod virtus non domet. Ex VValfrido Strabone apud Sur.

Vtinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem! utinam intelligamus ad præteritæ correptionem! utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem! S. Bern. serm. 2. de SS. Pet. & Paul.

S. ANDREAS M. 17. Octobris.

Bello, quod sacris DEI Divorumque imaginibus barbarus Copronymi furor indixerat, multum virtus ANDREÆ enituit: quippe qui sub ejus statim initia è Cretâ Constantinopolim advolavit linguâ & pectore propugnaturus pietatem. Et nimirum (clamabat ille in publico virtutis theatro) majores nostros, qui pulchram pro patriâ mortem oppetierunt, stantes in saxo, in ære, in auro suspicimus; at verò qui pulchrius pro cælo sunt mortui, nullo honore dignabimur? Tibi homini, Copronyme, aureas poni statuas, & surgere cælo colossos spectabimus, neque impunè hos quisquam nostrum jam violabit; tu verò cæli Imperatoris imagines, tu Imperatoris Mattis magnæ, tu amicorum hujus gratis eversum
ibis?

ibis ? quin etiam improbe illam ex animo tuo imaginem deles, quam suâ manu, cum te finxit, Numen depinxit ? Sed quid ajo ? dudum hanc orcus deformavit, & suis te coloribus pinxit. Hoc unum audi. Aut fallor ego (imò non fallor) aut, si terræ filius bellum porrò cælis movere pergis, si sedibus suis Superos deturbare laboras, fulmen etiam tu senties. Erat hoc furiosum laceſſere. Itaque flagra, taureas inclamat tyrannus : his lacerum in vincula, inde inter lapidum imbres ad infamem mortem raptari jubet. Sed ecce adest, qui ex itinere, amputato altero pede, Divum cælo transmittit ; profuitque ad compendium viæ, pedem abjecisse. *Ex Surio & Menais.*

Inspiciens est, qui se à Paradisi gaudiis peregrinum esse non considerat, & se exulem in hoc exilio non attendit. Stultus est, qui licet ista cognoverit, liberari tamen à mundi miseriâ per vitæ meritum non intendit. Auctor Spec. peccat. tom. 9. S. Aug.

S. LUCAS EUANGELISTA.

18. Octobris.

LUCAM nobis Antiochia Syriæ peperit, educasse verò ipsæ in sinu suo Musæ videntur. Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus excultus, arte insuper medicâ clarissimus habitus est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in Christi scholâ grandis discipulus didicit, sui Dei que agnitionem. Fertur etiam socius Cleophæ fuisse in Emaus eunti, tunc cum ambobus à morte CHRISTVS se comitem junxit, hospesque non a symbolus mensæ accubuit. Post hujus verò, quem in cælos duxit, triumphum, ubi in orbis partitionem cum cæteris Apostolis venit, fidus magno Paulo

in omni itinere, quin adeò in vinculis Achates, Christi primò vitam mortemque, tum, quæ Apostoli alii fortiter fecerunt, perscripsit. Abiit è vivis cùm annum ageret quartum supra centesimum, & tunc etiam memor medicum se esse, ægris vel è tumulo medicinam, oleum salutiferum propinavit. Illud pænè memoriam fugisset. Primus fuit LUCAS, qui MARIAM felici manu depingeret, in eâ tabellâ, quæ etiam hodie miraculis lucet, dignus profectò, cujus penicillû Mariani omnes imitentur, idem in animis faciendo, quod LUCAS in tabellâ fecit. *Ex tom. 1. Baron.*

Recurramus ad innocentiam primitivæ Ecclesiæ, ut discamus & possessa relinquere, & in regia paupertatis simplicitate gaudere. Non nos à caelesti itinere carnalis illecebræ retrahat lenocinium, quibus per præcedentis Redemptoris introitum patet aula calorum. Pet. Dam. serm. de S. Luca.

S. JUSTUS M. 18. Octobris.

DOmi cum parentibus JUSTVS puer, at in servitute frater Justinianus agebat. Igitur nec finis jam matris, nec oscula patris arridebant JUSTO, quæ dividere cum germano non licebat. Multis proin lacrimis persuadet tandem patri, secum ereptum è servitute fratrem eat. Itur. Ambianum venit. Hic etsi JUSTVS fratrem numquam vidisset, inter multa tamen mancipia continuo agnoscit; indicium cognato intus sanguine faciente. Sic dimidio sui jam auctior dum domum redit, à Ricciovaro equites adsunt. JUSTVS postquàm spelæo patrem fratremque abdidit, obvius it exploratoribus. Scilicet hi mortem intendant, nî comites prodat. Sed negat ille didicisse se

pa-

parentes proderet; id vel tum ostendisse, cum caput pro libertate fratris objecisset. Dicenti hæc crudelior cæteris caput aufert. Sed ecce truncus Martyris suis ipse manibus hoc amplexatus humo attollit. Diffugiunt monstro perculsi equites, & ad tristem aspectum exclamat pater fraterque. Verum solatur utrumque JYSTRVS: nempe officium se filii fecisse, vitam, quam à patre accepisset, reddidisse. Demum caput suum offert, mandatque, matri ferant tumulandum. Id cum factum est, tanto lumine ædes maternas complevit, ut sua etiam oculis cæcæ puellæ lux rediret, puto, ut qui in JYSTRO illustre sive in fratrem sive patrem pietatis exemplum non videt, etiam cæcis minùs se videre videat. *Ex Surio.*

Si propter proximum Christus sanguinem effudit, quid magnum facis, si per exhortationem jacentem erigas? Quinimò, si periclitandum etiam fuerit pro salute alterius, non subterfugiamus. Nam id nobis salutis erit occasio, multamq; conciliabit fiduciam. S. Chrysoft.

S. VARUS MART. 19. Octobris.

Vidit & persæpè laudavit Ægyptus VARI militis virtutem, sed numquam magis, quam cum in ipsum Imperatorem suum Maximianum pugnavit, sine perfidiâ, quia pro fide. Pugnae verò occasio hæc fuit. Septemgemi Martyres è vinculis libertatem Christianam propugnabant. His dum VARVS inservit, ecce uni ex eorum numero cælum beatâ morte vacationem à militiâ donat. Sed ne numero suo fortissima cohors destitueretur, ultrò VARVS noster in demortui stationem succedit. Mox Christianæ fortitudinis ingentia documenta contra equuleum, scorpiones

19. **SIO VITÆ SANCTORVM.** 19. *Octob.*
& plumbaras edit, nec prius è pugna quam
mortuus & victor abit, viâ ingenti & fortissimæ
animæ per novaculâ discissum ventrem factâ.
Corpus Martyris sepultum in canibus volebat ty-
rannus; sed Cleopatra nobilis matrona secum
hoc in Palæstinam avexit, toto templo (quod illi
postea extruxit) tumulandum. Finem ubi ædifi-
candi fecit, ausa mercedem à Martyre sperare, in-
duxit in templum filium, petiitque, optima qua-
que illi VARVS à DEO impetraret. Mox alia omnia,
quàm orasset fieri putavit, cum mori filium sub
oculis suis vidit. Tunc verò lacrimis mater &
singultibus cælum accusare, VARVM ingrati-
tudinis notare. Sed hic unâ cum filio multâ gloriâ ve-
stito, & coronato, visus Cleopatras, docuit nihil
petere filiis matres, nihil dare cælum posse bea-
tius quàm mortem beatam. *Ex Surio.*

*Certamen tuum non est leve, nec risu dignum. Ange-
los & Angelorum Dominum in luctâ, quæ tibi cum dia-
bolo est, habes spectatores. Vincente te & adversarium
prosternente plaudunt Angeli, & Deum laudant, qui tibi
hoste vincendi dedit facultatem. S. Ephrem de pœnit.*

S. ETHBINUS CONF. 19. *Octobris.*

AXIOMA est à magistro CHRISTO dictatum,
& receptum jam olim in Christianâ philoso-
phiâ: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non po-
test meus esse discipulus.* Indocti discipuli quam pau-
ci hoc intelligimus, quàm multi intelligere nos
altum dissimulamus! At vix hoc dici audierat
ETHBINVS Scotus nobilis adolescens, cum dicto
etiam audiens opes egenis, se monasterio devovit.
Ex hoc cum vitæ melioris magistro W in alio loco
in agrum fortè egressus, in hominem offendit le-
prâ

prâ horridum. Quod avertere oculos potuisset
 delicatos, ETHBINI sociique invitavit etiam.
 Oritur pulchrum magistrum inter & tironem
 certamen. Hic brachiis stringere, & sinu miserum
 fovere, ille sordes & saniem velle officiosus à vul-
 tu abstergere, quin (quod æger aliter nollet fie-
 ri) generosâ siti purulētam scabiem ebibere. Scio,
 horres hæc legere. Sed tunc facere hæc virtus
 non horruit. Et ecce, (ô Superi! ô amor, qui col-
 ludere homini DEVM facis!) dum saniem sperat
 Winvalocus, gemmam unicè pretiosam ore exci-
 pit, & mutatâ repentè rerum facie videt ETHBI-
 NVS in miseri fronte crucem rutilare, videt ab al-
 to famulos Cælites advenire, & è manibus non
 jam leprosum, sed Christum abire, amicissimis
 verbis sua utrique præmia pollicentem. Et finie-
 rat fabula pulcherrima, cum iterum lis sancta ex-
 orta est, utrius virtuti hanc DEVS dedisset. Post
 multa ita conventum est: ut silentio omnia invol-
 verentur. At frustrâ agitis, ô Divi. gemma vos
 prodidit, & verò olim Christus prodet. *Ex Surio.*

*Christus tibi contubernalis sit & convivâ, imò Chri-
 stus ipse tua sit delicia, ipse quotidiana refectionis epu-
 lum, ipse tibi intima dulcedinis sit alimentum. Cum illo
 simul lege, cum illo jugiter psalle: cum illo lectulus te
 dormituum capiat, cum eodem sopor inveniat. S. Pet.
 Dam. l. 7. epist. 6.*

SS. CAPRASIVS & FIDES MM.

20. Octobris.

VT fidem sanguine suo firmaret CAPRASIVS,
 FIDES virgo suggestit. Nam cum hæc anno
 post natum Servatorem trecentesimo tertio pro
 CHRISTO captiva in lassitudinem omnes jam car-

nifices dedisset, & denique in craticulam abjecta esset lento igne crucianda; vidit è specu suâ, quâ delitescerat, CAPRASIVS, manifestâ in luce columbam cælo adventare, quæ & rore asperso ardore temperaret, & sero longè pulcherrimo caput victricis coronaret. Puduit vinci à virgine, & latere jam noluit, si talem se femina proderet. Abiectus proinde in preces oravit; si cælo placeret etiam virum in pugnam prodire, vellet, juberet, eo in loco fontem enasci. sanguinem se daturum, si aquam spelunca. Et dedit hæc aquam, sed quæ CAPRASIO cruentam sitim accendit. Hanc ut poneret, in urbem & in theatrum ad tyrannum properare, & jam palàm ostendere, non frustra tamdiu in pulvere privato exercuisse sese; denique non modò inter omnia tormenta sibi constare, sed & longè plurimos alios in eandem sententiam pertrahere, quibuscum omnibus capite ultimò truncatus effecit, ut exiguus aquæ fons in flumina sanguinis excresceret. *Ex Surio.*

Ad evitandas diabolica pugna molestias audenter assurgimus, si necessitatis ultima periculum providè pertractemus. Nam si repentinus ille atque terribilis adventus Christi perpenditur, quid erit in mûdo, ubi mens humana vel desipiens deletetur? S.P. Dam. l. 7. ep. 19,

S. HILARION ABBAS. 21. Octobris.

Multum puer HILARION in ludo literario, plus apud D. Antonium in religiosâ scholâ profecit. Itaque anno ætatis XV. cælesti philosophiâ jam plenus, jamque vates, pectora hominum inspexit, absentia & longè post futura multò antè vidit. Mox magister etiam ipse sanctioris sapientiæ, fidei dogmata multos, multos mundi contemptum

temptum edocuit. Asellum suum (ita corpus familiariter convitio appellitabat) calcitrantem non hordeo (ut ipse dicere solebat) sed paleis sustentabat, hoc est, fame, siti, labore edomabat. Latrones vim meditates inferre viro, cælum errore viarum abductos totâ nocte delusit. Ipse quoque dæmonum ludibria non semel impunè risit; quin Plutonem quandoque cum curru suo per terræ hiatus ad inferos redire compulit, irridendum etiam suis tunc puto, utpote sine Proserpinâ, quam spectata verat, reducem. Jam sæpius ex humano domicilio eundem proscripsit, non ita tamen, quin virginem gravibus verbis castigaret obsidione jam liberam, quòd pro pudore non excubans aditum dæmoni Amori fecisset. Porro terram triennio ficientem pluviam beatam recreavit. Cruce serpentum morsus exarmavit. Draconem coëgit structum rogum conscendere, & suapte sponte victimam igni se dare. Talis tamen ac tantus mori timuit, & moriturus animam suam ita alloqui est auditus, *Quid egredi anima, quid times? septuaginta ipsos annos Christo meres, & mori times?* Audi hæc orbis: Hilariones timent mori. Nos, ah! quali morbo? risu emorimur. *Ex D. Hieron.*

Vae hominibus injustis, va impudentibus, va deliciis & voluptates sectantibus, va superbis. In ipso enim mortis articulo & angustiis inferni suo periculo discunt Dei timore nihil esse præstantius. S. Ephrem de Vita spirituali.

S. MALCHUS CONF. 21. Octobris.

NON latuit MALCHVM thesaurum esse virginitatem, tot prædonibus quot oculis expositum. Quare ut in tuto hunc collocaret, secum in

silvas exportavit. Sed, cheu! non sola in silvis Diana, etiam Venus venatur. Et vide sis tectissima hujus retia. Emoritur MALCHI pater, & ficta pietas orbam solari matrem suadet. Clamat vitæ sanctioris Doctor, impietatem esse ipsissimam, alienam mortem suâ delugere, & ut funus comitaretur, funus velle fieri. Si mundo mortuus esset, quid illi cum vivâ matre? si DEO viveret, quid cum mortuo patre foret? Sed surdo fabulam. Abit è latibulis suis virginitas, peritura, nisi in latrones incidisset. Hi in servitutem abducunt, & ne fugere possit, molestissimâ compede, uxore onerant. Conclamabunt hîc alii. Sed noverint sic vexatam revixisse virtutem. Secura etiam in thalamo jacuit, & per conjugii larvam diu Venerem rifit illibata virginitas. Quòd tamen rectius fugiendo quàm pugnando pugnat pudor, fugere ultimò pudici conjuges. Et jam per undas enataverat castitas, cum jugulo herus, & cum hoc servulus, uterque camelo vectus hæsit. Defendit tamen antrum trepidos, & antrum suum læna, utroque hoste lacerato. sed & domicilium fortioribus hæc cedens, aliò cum catulis emigravit. At MALCHVS non jam leones, sed nuptam suam fugiens, hanc inter virgines deposuit, ipse monachum rursus induit, mortuusque meruit, ut tumulo ejus raram miraculum (VIRGO CONIVNX) inscriberetur. Ex D Hieron.

Nunc dum tibi mundus arridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet, qua post illa sequantur, cogita: & quæcumque transitoria sunt, altiori consilio jam transisse decerne, & velut ludificatoria, illusionis somnium deputa. S. Pet. Dam. l. 8. ep. 8.

S.URSULA cū Sodalibus VV.& MM. 21. Octob.

Classem & vela spectas: omnia à castis nivibus candida, omnia à casto sanguine rubentia; virum in his nullum nisi hostem; sed omnes virilis animi; Amazones rectè dixeris, sed quas zonâ virgine nec victor Attila possit spoliare. Harum omnium ecce dux URSULA est, Dianethi Britonum regis filia, ob formæ florem Connano Armoricæ Dynastæ desponsa. Et verò jam ecce vela facit classis castissima, & pudori suo timens, non tam in undis, quàm lacrimis suis natat: jam Armoricam versus contra vota etiam sua feliciter fertur, jam obuius Hymenæus ingratum verecundis auribus obstrepat; cū ecce tempestas suboritur, & arreptas naves in Rhenum aufert, Agrippinam Coloniam ejicit. Nimirum adversum hunc alii ventum dicent, at secundum URSULA vocat & castitati velificantem. Longum igitur exilium citis nuptiis præferens, Romam cum comitatu abit, inde iterum Coloniam. Sed longè gravior redeuntes procella excipit. Naufragium iterum minitatur virginitati Hunnorum & Alanorum vis. Quid agis pudicitia? obluetaberis tot barbarorum insultibus virginum agmen? Enimverò pulchrum, Superi, facinus! ne pudor mergatur, omnes in Rhenum animas projiciunt, & ne telo Cupidinis violentur casta pectora, ad barbarorum intentos arcus ultro jugulum offerunt. *Ex D. Ursula vitâ apud Lippeloum.*

Navis tempestate jactata portum querit, & viri pudici anima expetit solitudinē: ut enim illa fluctus maris: naufragium minitantes fugit, ita hæc mulierū aspectus perniciem afferentes vitat. Nilus Orat. 2. advers. vitia.

S. JOANNES BONUS. 22. Octobris.

Genuit Mantua JOANNEM BONVM. sed, ò malum ! bonum divitiarum non siverunt esse. Nempe dubites, an, cum demortuo parente hereditatem adiit, plures nummos an vitia numeraret. Unica jam mater suis apud DEVM precibus sustinebat in præcepis ruentem: frustra etiam ipsa futura, nisi morbus quoque manum injecisset, lectuloque affixisset. Hic, uti ferè amat, gustum illi voluptatum abstulit, quæ nuper tam sapiebant: jamque ut valeret JOANNES, valere mundum jussit, & vitam Religiosam vovit. Hæc salutari medicinâ in pedes erectus, morbi sui fomenta (divitias) non invitatus abjecit, & post vitam prope Cæsena in summâ austeritate aliquamdiu actam, in eremum ad D. Augustini partes transiit, Ordinemque eum magnis incrementis & miraculis amplificavit: quin adeò subinde ad castissima vulnerum oscula ab ipsomet Christo in cruce est invitatus. Sed nondum etiam hinc extra teli jactum castitas stetit. Huc etiam sagittas suas misit Amor improbus. Et jam corpus à flammis impuris æstuabat, jam pudor vicinus incendia metuebat; cum contra tela infanda, tela alia, arundines strinxit JOANNES, & sub primores digitos tam validè adegit, ut triduum examinibus jacuerit. Triumphavit tamen hostem à celo recreatus, & eximius dehinc ab hostilibus ejusmodi incurfibus vixit, Cupidine plus jam arundinum aculeos, quàm apum olim fugiente. *Ex Ferr.*

Reverà hæc est vera cordis requies, cum totum in amorem Dei per desiderium figitur, nec quidquam aliud appetit, sed in eo, quod tenet, felici quadam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. S. Aug. Manual. c. 29.

S. SE-

S. SEVERINUS BOETIUS.

23. Octobris.

IPsum oculi tui Musarum ocellum BOETIVM
 vident, cui vel hostis Theodoricus rex testi-
 monium hoc dedit, omnes omninò sciētias unum
 complexum fuisse, ut jam Græciæ Roma nec
 Ptolemæos, Nicomachos, Euclides, aut Archi-
 medes, nec Pythagoras, Platones aut Aristoteles
 invideret. Tot tamen ætatum miracula unico in-
 genio clausa extinxit idem Theodoricus, furiis
 Arianorum (quos stylo BOETIVS confoderat) agi-
 tatus. Cæterum clientem suum in ipsum carce-
 rem usque Musæ sunt secutæ. Nam & in hoc li-
 brum *de Consolatione Philosophia*, & alterum *de Tri-
 nitate* ad focerum Symmachum scripsit, virum iti-
 dem eruditum & Consularem, quin in eadem
 causâ piè pòst mortuum. Et BOETIVS quidem re-
 sectum caput utrâque manu memoratur humo
 sustulisse, interrogantiq̃ue per inurbanū jocum,
 à quo percussum se existimaret, feriò, *ab impiis*, re-
 spondisse; inde progressus in templum demisisse
 in genua sese, ac preces inter caput arâ, animum
 cælo deposuisse. At Symmachus gladio & ipse
 cæsus suum socii q̃ue caput abundè fertur vindi-
 casse. Siquidem cœnanti Theodorico portentosi
 p̃ncis caput appositum Symmachi ajunt imaginē
 induisse, hianti q̃ue ore & dente minitabundo ita
 perterruisse, ut metu morte q̃ue rigens infelicem
 animam in ollas (quemadmodum S. Gregorius re-
 fert) Vulcani exspiraverit, tunc etiam multis de-
 flens innocentum Martyrum necem. Sed & hodie
 Musæ BOETIVM SYMMACHVM q̃ue flerent, nisi in
 his oculos suos amisissent. *Ex vitâ Boët. & Bar.*

Y 7

Quanta

Quanta est mentis occupatio in appetitu terrena gratia? & quantus est timor, ne hæc eadem gratia perdatur? Perpende ergo qua pœna sit aut prosperitatis desiderio fatigari, aut adversitatis timore pavescere? S. Greg. l. 6. Regist.

S. MACARIUS ROMANUS CONF.

23. Octobris.

Bellè Veneri illufit MACARIUS, cùm nuptiali in thalamo sponsam reliquit, & Raphaële comite in ultimas solitudines castitatem asportavit. Ibi dum antrum subit, in geminos catulos & ponè accubantem exanimem lænam offendit. Hanc igitur tumulo infert, catulos de suâ mensâ alit, educatque. Crescunt illi, & à nutritii sui collo innoxii pendent, blandientem lambunt, arridenti adrugunt blandum. O semper tutior inter feras, quàm non dicam inter mulieres, sed mulierum etiam umbras. virginitas! Prodit foras MACARIUS, strophium reperit è sindone, è serico calceolos. Quid agis, MACARI? Viscum mitte. audit allacrimantem malis suis vocem. Ah aures obtura! Sirenem audis. Videt mulieris formam omni simulachro emendatiorem. Eheu oculos claude! Scorpionem vides. Ecce tecto recipit. Superos testor, MACARI! vivam lænam introducis, qui mortuam extulisti. Quid multis? triumphato hospite in fumos abit dæmonium, in lacrimas MACARIUS, in fugam leones. Quin ipse quoque se fugit; sed obstitit bonus ductor Raphaël. Ergo in genua & preces se abjicit, XL. ipsos dies jejunus. Tum verò conciliatos Superos, primùm leones reduces, deinde multa lux cælo allapsa, tum gratantium Angelorum voces, demùm Christus ipse

ipse conspicuus indicarunt. Atque hæc MACCARIUS ipse tribus aliis eremi incolis, nos verò Marianis ideò hodie narramus, ut sciant securius castitatem binis leonibus cohabitare, quàm uni fæminæ. *Ex Menais.*

Contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in presenti resistere; libidinem verò fugiendo superare: contra hujus impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam; neque tibi sit verecundia fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Augustin. serm. 250.

SS. MARTYRES NAGRANI.

24. Octobris.

NON jam singulos Martyres producere in arenam, & cum tyrannis componere, sed producere in campum plenam aciem juvat, & totam pro Christo pugnaturam urbem Nagranam armare. Cave tamen cum in exercitu nostro sacros homines, senes, matronas, pueros, & adeò puellas vides, apparatus nostrum riseris. Videbis majores corporibus suis animos, & viros sub stolâ, ipsamque in senibus juventam, in sacerdotibus fortitudinem. Ecce enim Arethas (urbi præfectus fuit) xcv. annorum senex canos pulchros sanguine pingit, lauro ornat: potuit ne quidquam gloriosius ab hæc ætate fieri? Ruunt cum hoc in mortem eandem socii ccc. xl. an præeuntem ducem non rectè secuti milites? Sacerdotes sacrorumque ministri omnes uno igne cremantur; an pulchrius poterant sacrificare? Puella xii annorû in faciem Dunaanî tyranni spûto pugnat, eadem cum sorore ferro jugulum dare non abhorret; an non fortiter utraque? Utriusque sanguinem mater ore suo libat, mox suum miscet; an non viriliter fecit mu-
lier?

lier? Sed hem in quinquenni puero Herculem Oetæum. Supplicat hic pro matre ad ignes damnatâ; sed ubi ad perfidiam invitari se videt, à rege non jam matris solum, sed suam etiam mortem orat, & lacrimis perorat, & blanditiis sævientem morfu provocat tyrannum. Nihilominus servandus custodiam fallit, & ad matris sinum per ignes, cum illâ ex ignibus ad cælum volat. Ecce Roma vetus, quæ ab omnibus sæculis exempla fortitudinis in omni sexu non mendicabis, omnia spectanda uno die dedit virtus Christiana. *Ex Metaphr.*

Quid Dei benignitati pro omnibus ejus muneribus rependemus? Nam si mille annos in terrâ viveremus, ne pro uno quidem colapho, nedum pro morte, quâ pro nobis foedissimâ fuit affectus, illi unquam ulla modo posset à nobis satisfieri. S. Ephrem in Confess. peccat.

S. MARCIUS CONF. 24. Octobris.

ORbi Romano Justino juniore imperante, rectius sibi MARCIUS imperavit. Aula illi spelunca non procul Caleno in Campaniâ, quanto angustior tantò augustior fuit; pincerna verò petra, quæ aquæ tantum, quantum sat erat, quotidiebus fida ministravit. Doluit dæmon malus, & veterem serpentis larvam indutus, sive oranti, sive cœnanti, sive quidquid demùm aliud agêti accubare perstitit. Ille orcum vicissim ludos faciens, nunc pedem, nunc manum ultrò ori ita ingessit, ut tamen dentem malum figere hic minimè auderet; sed post triennium victum se fassus per alterum montis latus in præceps abiret, ambustis circumcirca omnibus, quâ volvebatur, arbuſtis. Sed ecce tibi pugnam, quâ dæmon ceciderat, prostituta frontis femina parat restituere. Quis credat?

pericu-

periculosius longè certamen hoc MARCIUS credere; non jam ludere, sed fugere, sed in faciem abjectus, nec oculo hostem audere aspicere. Cessit tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares, mortua corruit. & subinde alii sanctiore consilio ad MARCIUM inviserunt; quos inter puerum memorant, fallente vestigio, in subjectam vallem innoxie lapsus. Quid? quòd saxum ingens spelæo imminēs, & à rupe suâ avulsum, saltu MARCIUM transit: qui jam à principio catenæ, quæ modum ambulationi præscriberet, pedem alterum illigavit; monitus tamen à D. Benedicto amoris potius funiculis teneri vellet, catenam quidem posuit, cæterum longitudinem ejus numquam excessit, nisi cum excedere denique mors felix jussit. Ex S. Greg. P.

Cùm finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit quod modo cum tantâ curâ queritur, & cum solitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ querenda sunt, quæ dimituntur. Illa diligamus, quæ sine fine habebimus; illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur. S. Greg. l. 6. Regist.

B. JOANNES ANGELUS CONF.

24. Octobris.

JOANNEM ANGELVM exhibeo, vel nomine suo debitum VIRGINI; cui nempe si immortales illi Angeli servire gaudent, quidni noster etiam? Atque hoc est, quòd Mediolani in liberâ nobiliq̄ue familiâ natus, annumerari tamen Florentiæ Servis MARIÆ præoptârit. Ibi illum, ut scias quòd vota sua miserit, abiisse inter preces in aëra ajunt, multaque alia fecisse, quæ posteris miramur. Sola castissimi interula innumeris parientibus auxilio velut

velut obstetrix salutaris adfuit. Racemum cum è vite aliò tulisset, & agrè alii hoc ferrent, viti suæ quàm mox ita restituit, ut ne cicatricem è vulnere superstitem cerneret. Illud omnino & scriptu & lectu jucundum, VIRGINIS seruo, ANGELO inquam nostro, feliciores illos Angelos inserviisse. Nam fuit, cum è morbo decumbenti incidere venam medicus constituit. Hic, absentibus omnibus aliis, adfuere è cælo ephebi gemini, cælo ipso suo formosiores, qui lumen aliave ministrarunt, & sanguinem ægri obsequiosi exceperunt. Tanti sanè erat omnem omninò sanguinem prodigere. Certè tam duriter vixit JOANNES, ut præter cutem & ossa vix quidquam hominis jam haberet, eò rectius ANGELVS dicendus, quò minus jam carnis illi erat. Hanc denique omnem posuit anno partæ salutis M.D. VI. Laudes ejus funebres (quòd puto impar his lingua esset) campanæ sponte impulsæ cecinerunt. *Ex Ferrar.*

De dilectione Conditoris lingua, mens & vita requiratur. Numquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. S. Greg. Hom. 30.

SS. CHRYSANTHUS & DARIA MM.

25. Octobris.

CHRYSANTHVS patre natus Polemio senatorii ordinis viro, dum fortuitò in manus sumit, quem Evangelii librum dicimus, legitque, manus dare Christo discit, brevi lectione longè plurimùm edoctus. At Polemius, ut filium à Christianâ disciplinâ dimoveret, nihil non movere, carcerique demùm mancipare. Sed hic gymnasi instar virtuti erat. Ergo ad insidias amico-

rum

rum consilio versus cubiculum adornat, & omnibus deliciis instruit; addit mulierculas omnimundo muliebri præter verecundiam superbas. Inter has collocatus CHRYSANTHVS tunc demum in carcere esse se credidit & ingemuit. Quid faceret? clypeum nempe (oculum clausum) obicit. Sed & cælum somno lenarum oculos obruit tam profundo, ut castitati facile esset dormientium manus evadere. At ecce novum duellum: DARIÆ virgini & formâ & literis cultissimæ committitur. Pergit tamen ille victoriis victorias accumulare, & sponsum expetenti promittit hunc, sed Christum. In has leges & pax & nuptiæ promittuntur: quæ ut festiviore apparatu fierent, plurimos ille juvenes, plurimas illa virgines ad castitatis amorem traxit. Enimverò hic demum furere Venus, & vinci toties tela sua indignata, tyrannum armare, jamque CHRYSANTHVM in carceres, DARIAM in lustrum trahere. Sed illum contra tormenta lux cælo allapsa, istam contra lenones leo defendit. Ultimò vivi terrâ obruti castissimi conjuges, primum thalamum, tumulum habuerunt. At olim degener Roma non castitatem, sed impudicitiam sic tumulabas. *Ex Metaphr.*

Fluxa & seductoria immundi hujus mundi blandimenta despicere: minas ejus animi fortitudine supera: surgentia carnis incendia reprime: mentem virtutibus dilata: torporis frigus de corde depelle, & ad superna beatitudinis gaudium flammato desiderio suspira.
S. Pet. Dam. serm. 5.

S. DEMETRIUS MART. 26. *Octobris.*

Natale solum DEMETRIO dedit Thessalonica, parentes nobilitatem, literarum studia laudem,

at

at militia denique totius Græciæ imperium, Christus illi semper in ore, hujus præco ipse Proconsul non dubitavit esse; quo factum, ut passim ubique superstitionem in provinciâ suâ expugnarit. Debeatur illi ob res tam benè gestas triumphus. Sed hunc ille scilicet in carcere duxit. Corona ut non deesset sic triumphanti, hanc è cælo Angelus attulit. At ille non unâ contentus, sed plures sperare ausus, certamini suo alios præmisit. Et fortè ludos dabat Maximianus more suo cruentos. Lyæus staturâ & robore monstrum solus in quosvis pugnabat, numquam non victor. In hunc DEMETRIUS immittit Nestorem adolescentulum viribus longè inferiorem, cætera cruce frontem & pectus probè armatum. Hic portentosum gladiatorē in arenâ porrexit. Sed per hujus latus Imperator se faucium sensit. Itaque in Nestorem gladio, in DEMETRIUM lanceis sævit; sed non ita, quin post mortem in ore omnium viveret. Nam chlamys Martyris sanguine tincta ægros contra omnes morbos armavit, & Lupus DEMETRII servulus cum anulum suum cruore domini, hoc est, gemmâ ornasset, compluribus deinde sanitatem eo impertiit, dum vitam pulchrâ pro Christo morte etiam ipse obsignavit. *Ex Surio.*

Habes arma, ô homo, quibus adversus hostes tuos utaris: quæ si ad salutem tibi data spreveris, victus in die Iudicii quomodo te excuses non habebis. si adversus te corporis cupiditatem demon incitârit, temperantia thoracem induito; si te lascivia sagittis petierit, sume galeam castitatis. S. Ephrem de Ling. morb.

S. FULCO EPISC. 26. Octobris.

Qui pauperes esse Musas indignantur, exemplum patientiæ licet à FVLCO mendicent. Hic extremâ rerum omnium inopiâ pressus, non tamen ideò minùs literas coluit, dudum ab hisce edoctus somnia doctiora non post merum, sed ad aquas in Helicone potas obrepere. Quare non a magistro doctrinam, ab aliis victum venustumque precariò accepit. Et forte fortunâ ditiores ædes pulsavit, cum ancillula stipem per jocum eâ lege porrexit, ut ne infulam umquam acceptaret. Enimverò jam jam prehensurus panem, FVLCO manum illicò retraxit, indignum reputans tam parvo lucello tam magnas spes vendere. Et placuit generosus hic animus usque ad eò ædium domino, ut victum deinceps ceteraque vitæ præsidia omnia FVLCONI liberaliter suppeditaret. Itaque positâ molestâ paupertatis sarcinâ, cum libertus jam studiorum stadia decurreret, inter Canonicos, quos vocant Regulares, adnumeratus, missusque Lutetiam Parisiorum, Doctoris primò titularis ornatur, mox Placentiæ ad D. Euphemiæ reliquis præponitur, inde Archipresbyter, inde Episcopus Placentinus, denique Papiensis etiam renuntiatur: & jam illa olim omnibus supplex manus anulo vestitur, caput omnibus apertum mitrâ tegitur, doctaque egestas purpurâ involvitur. Sed tamen memor fortunæ veteris, dum vixit, quinos semper mensæ pauperes adhibuit, totidemque cum magistro suo Musarum clientes, & septem egentes viros nobiles aluit. Atque hi fecere, ut licet virgo FVLCO, pater tamen obiret. *Ex Ferrar.*

Erige animum: Tribulatio vires non opprimat, adversa

versa saculi patientia superet : pompam mundi secum mens despiciat : actio tua ad ea, quæ Dei sunt, se occupet : considera quàm nihil sit, quidquid sine concluditur.

S. Greg. Registr. l. II. c. 23.

S. ELESBAAN CONF. 27. Octobris.

NON erubescant reges in regem ELESBAANVM intueri, & ex ejus vultu, Æthiopsis licet, mores tamen suos componere. Bellum illi grave erat cum rege altero Dunaanum Judaicæ superstitioni addicto. Causæ & Deo fidens, purpuram quidem pugnaturus exiit, cæterum ingentes animos induit : quos majores etiam Anachoretæ nescio quis illi fecit, cum, ut sibi DD. Martyrum præsidia (optimas utique auxiliares copias) accerseret, persuasit. His fretus cum in aciem descendisset, ctsi initio laborare hæc videretur, pugna tamen ad extremum vicit, auspiciatissimo D. Gabrielis nomine velut militari tessera tertium in aëre conclamato. Adhæc Superi Dunaanum hostem ita deludere, ut veluti fascinatus catenâ aureâ, & se & amicos illigatos venienti ELESBAANO objiceret : quos quidem victoriæ hi ; sacrificaturus eodem ferro omnes immolavit. Sed nunc triumphum specta Lector. Hunc ecce, triumphali coronâ Hierosolymam missâ, ELESBAANVS saccum non togam palmatam indutus, & solus obscurâ nocte in montem proximum ducit; casam, non Capitolium subit ; vota victor vovet numquam inde egrediendi ; jamque triumphales epulas pane nudo, herbis ac fontanâ continuat, nulli hominum visus, uni sibi & Superis notus. Nihil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed sic triumphanti cælum applausit. *Ex Metaphr.*

Laqueus

Laqueus est in auro, viscus in argento, nexu in pradio, clavus est in amore. Dum aurum petimus, strangulamur; dum argentum quarimus, in visco ejus haeremus; dum pradium invadimus, alligamur; quin etiam mulieris decus dum tentat, astringit. Ambros. de dono mortis cap. 5.

S. SIMON & JUDAS APOSTOLI.

28. Octobris.

Vbi primùm debellandum sibi orbem Apostoli sumserunt, aliis aliò moventibus, SIMON in Ægyptum, JVDAS verò THADDÆVS frater SIMONIS in Mesopotamiam expeditionem adornavit. Subactis iis provinciis, in Perside copias junxerunt, misisâque iterum sub jugum CHRISTI innumerâ multitudine, demùm uno eodemque tempore de morte ambo fratres triumpharunt. quod spectaculum ne Romæ quidē toties triumphanti obrigit. Porro JVDAS dudum antè regem Edessæ adiit Abagarum (is est qui olim Christum, cum in vivis adhuc ageret, per amicas literas in regni societatem evocavit) telam ferens, in quâ vultum sui quàm simillimum Servator expressebat: munus profectò etsi ipsum artificem suum non referret, ab artificis certè manu quàm maxime commendandum. Hoc ubi cubiculo decumbentis regis fuit illatum, locum ilicò omnem illustratâ luce complevit, mox aspectu suo Abagarum à morbo recreavit, tactu verò persanavit etiam. In sacris undis cum omni aulâ suâ ablutus imaginem conspicuo loco venerandâ proposuit, ipse epigraphen, literis auro viventibus, in hunc sensum adjecit: *Spes nulli unquam imponit, quam quis in te Christe ponit.* Rectè, ais, Dei effigiem in honore

honore Abagarus habuit. Tecum sentio. Sed nego illos hodie rectè facere, qui vivos Dei vultus, animos inquam, perturbare per summam injuriam non vetentur. *Ex Constant. Porphy. Hieron.*

Quia presentia gaudia sequuntur aterna lamenta; hic vanam letitiam fugite, si illic flere formidatis: nemo enim potest & hic gaudere cum saeculo, & illic regnare cum Christo. S. Greg. II. homil. in Euang.

S. NARCISSUS EPISC. 29. Octobris.

FLorere sibi videbatur Hierosolyma, cum NARCISSVM haberet Pontificem odore virtutis charissimum patriæ & acceptissimum. Sed ex tam pulchro flore pessima aranea invidia venenum sibi suxit. Terni & ex mendaciis compositi cives in innocentiam conspirarunt, & sanctissimam viri famam fœdissimi criminis delatione contaminare sunt aggressi; utque ruitura mendacia perjurio fulcirent, si fallerent, pœnas ipsi sibi iudices rei dictarunt, & primus ignes, alter morbum fœdum, ultimus oculorum orbitatem imprecaus est, omnes à Cœlitibus non surdis audiendi. Etenim etsi perfidiæ etiam juratæ nemo crederet, testisque maximus & unus omnium instat NARCISSI ipse esset NARCISSVS; execratus tamen hic vel suspicionem facinoris subduxit se, & silvarum exilio innocentem se damnavit. Mox tamen aliam in adversarios sententiam cælum pronuntiavit. Primus enim ille cum omni familiâ igne tectis nescio unde illapso exustus facem, ut innocentia pateret urbi, accendit. Alter horrido morbo obsessus, uti à capite ad calcem usque sancti nihil, ita nihil sani habuit. Interea dum vindicem DEVM tuentur, timuere sibi oculi tertii testis,

29. Octob.

VITÆ SANCTORVM.

529

stis, & sceleris poenitudine hic ductus, publicâ confessione perfidiam & lacrimis damnavit, sed tot ac tantis, quibus oculi effluerent, mitissimâ vindictâ, quod simul noxam eluerent. Ita cæli patrocínio defensus muneri suo ac loco est restitutus, vixitque NARCISVS, quàm diu nullus flos alius vivit, c. & VI. annos. Ex Euseb. l. 6.

Tu quis es, qui tam improbè, tam manifestè, tam procaciter servo detrahis alieno? noli fratris tui reprehensibilia acta detegere, sed potiùs edicito tua. Redi ad te, & discute te, judica te & in staterâ humilitatis appende. S. Laur. Justin. de Vit. solit. c. 4.

S. ERMELINDIS V. 29. Octobris.

Eodem tempore thalamum ERMELINDIS & DEVS & DEI numquam non rivalis mundus ambivere. Sed exhorruit rectè infamem procum virgo, & duodennis sponsum sibi pulcherrimum è filiis hominum CHRISTVM legit, candidum eundem & rubicundum. At stultissima parentum vota generum mundum malebant; eamque ob rem, pro potestate, cogere filiam ad nuptias parabant. Hic verò illa generoso ausu virginem professa capillos suos ipsa rescidit, hisque veluti vinculis jam expedita, mundo ne nuberet, excessit mundo. Insecuti tamen castissima vestigia sunt gemini fratres, iidemque Veneris mancipia. Horum alter cum suam DEO sponsam etiam è templo raptum iret, monita ERMELINDIS à Tutelari Angelo suo, pudori fugâ iterum consuluit, solaque deinceps vixit. Sed quid dico sola? quando cælo Paranymphi adfuere, castissimosque inter Hymenæos ad sponsum suum abduxere. Neque verò mortuam etiam latere sponsam suam hic voluit. Cælestes

Z

iterum

iterum cantus splendorque, sed præcipuè odor suavissimus mortalibus immortalem ERMELINDEM prodidère. Cur, nisi ut in odorem castitatis etiam tu curreres Mariane? *Ex Molano & Surio.*

Hac recordatio magna tibi debet esse instructio: quoniam pro magno diligi non debet, quidquid sine concluditur. Illa petenda, illa summoperè diligenda sunt, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. S. Greg. l. 7. Regist. c. 54.

SS. ZENOBIUS & ZENOBIA.

30. Octobris.

ADeste hereditætæ filii, & dilapidare (neque enim hoc jam vetabimus) patrimonia vestra à ZENOBIO nostro discite. Iste ubi hereditatem paternam adiit, totam hanc in pauperes & ægros intra non multos dies effudit. Quid frontem contrahitis tam subito avari? an rectius poterat sua locare quàm cælo, quò, quidquid accipiunt, fidæ pauperum manus ferunt? Sed & viventis etiamnum manum munificam remunerare Deo placuit, quando arte medicandi tantâ imbuit, ut vel ad tactum ejus omnes passim morbi fugerent, ac deinde in patriâ urbe Ægis pontificali pedo, palmâ denique gloriosâ ornavit. Hanc ille scilicet Lysia Proconsuli inter omnia tormenta victor extorsit. Et fortè ab equuleo pendens cassas tyranni minas despiciebat, cum ZENOBII etiam soror ZENOBIA accurrit, & verò ex eodè tam forti sanguine se prognatam jactitans sociam germano se junxit. Lysias utrumque in ferreum lectum injici & subjici ignem jussit. Sed hunc cælum mitiore rore facile temperavit. In fornacem succensam posthæc abjecti iterum flammæ triumpharunt,
Superis

Superis acclamantibus, & certos esse beatitudinis jubentibus. Meruere ergo laurum, quâ ut coronarentur, capita securi submiserunt. *Ex Metaphr.*

Ante nos est Christus, ante nos brachium ejus: ad hunc dirige oculos tuos; averte à spectaculis, averte ab omni seculari pompa: serua eos, ut erigas melioribus: erige ad calum; specta mare, terram circumspice, ut opere facta divino omnis creatura te pascat. S. Ambrosius in Psal. 118.

S. WOLFGANGUS EPISC.

31. Octobris.

STellam parturire sibi mater **WOLFGANGI** videbatur. Non fefellit. **WOLFGANGVM** peperit, fidus, à quo omnis Bojaria illustrem se fatetur. Natalium splendori jam inde à puero majorem lucem à bonis artibus, maximam deinde à virtute accendit. Hæc cum inter Herciniæ silvæ Ascetas aliquamdiu latuisset, suis tandem se radiis prodidit, & præluere Bojis Ratisponæ jussa est. Agnovere in Præsule suo vitæ magistrum omnium ordinum homines. Virgines præcipuè Deo dicatæ, quas ille à vitæ, ad quam nunc etiam pronum est deficere, licentiâ, ad sanctiorem disciplinam facile omnes revocavit. Postea in desertos montes aufugit, struxitque sacellum miraculis etiamnum inclytum. Sed non potuit oculos effugere stella tam nobilis. Retractus **WOLFGANGVS** post longam absentiam pulchrius jam Ratisponensibus velut post tenebras luxit. Illud minimè tacendum. Henricum Bavarum postea Augustum educasse, illique Imperium tum in vitâ, tum à morte suâ prædixisse: nam ferunt Henrico dormienti **WOLFGANGVM** adstitisse, & parieti gemina hæc

verba (*Post sex*) inscripisse : experrectum illum mortem primò in sextum diem, pòst in sextum mensem, tum in annum sextum expectasse, sed tunc pro morte Imperium scilicet adiisse. At **VVOLFGANGVM**, cùm assem omnem suum in fratres (ut ipse vocabat) pauperes partitus esset, cælum ex ipso templo D. Othmari, qui & Episcopus illi & mortis vates fuit, ad se rapuit. Nec injuriam terræ fecit, suum abstulit, stellam tulit. *Ex Surio.*

Hora exitus nostri semper est intuenda ; ista Redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper ponenda, quâ ait, Vigilate, quia nescitis diem neque horam. S. Greg. Hom. de x. Virg.

